This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.

LANE MEDICAL LIBRARY STANFORD
2 45 0295 5242

Memoria C. H. Pfaff.

Nitzsch, G. W.

R
512
P5N7
1852
LANE
HIST

LANE

MEDICAL LIBRARY

HISTORY OF MEDICINE
AND NATURAL SCIENCES

22 N4

MEMORIA

CHRISTOPHORI HENRICI PFAFFII

MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORIS MEDICINAE ET CHEMIAE PROFESSORIS PUBLICI ORDINARII COLLEGII REGII SANITATIS SLESV. HOLS. DIRECTORIS REGI A CONSILIIS CONFERENDIS ORDINIS DANEBROGICI COMMENDATARII NEC NON CRUCE ARGENTEA HUIUS ORDINIS ORNATI FACULTATIS MEDICAE PESTHENSIS MEMBRI HONORARII SOCIETATIBUS REGIIS SCIENTIARUM QUAE HAFNIAE BEROLINI ET MONACHII FLORENT ACADEMIAE REGIAE MEDICORUM PARISIENSI SOCIETATI MEDICAE HAFNIENSI LIPSIENSI MEDICO-CHIRURGICAE HUFELANDINAE SOCIETATIBUS CULTORUM SCIENTIARUM NATURALIUM QUAE HALAE IENAE GOTTINGAE MARBURGI ERLANGAE FRANCOFURTI AD MOENUM BONNAE HEIDELBERGAE MOGUNTII ALTENBURGI SUNT ADSCRIPTI SOCIETATIS SCRUTATORUM SCIENTIARUM NATURALIUM MEGALOPOLITANAE ET HAMBURGENSIS PHARMACEUTICAE PARISIENSIS PETROPOLITANAE MOSCOVITICAE WESTPHALICAE MINERALOGICAE IENENSIS PHILOMATHICAE GALVANICAE ET CVLTORUM CHEMIAE MEDICAE PARISIENSIUM VETERINARIAE HAFNIENSIS CETT. MEMBRI HONORARII

DEFUNCTI D. XXIII. M. APRILIS A. MDCCCLII.

DE AUCTORITATE

SENATUS ACADEMICI KILIENSIS

SCRIPSIT

GREGORIUS GUILIELMUS NITZSCHIUS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

MDCCCLII.

LANE LIBRARY

Academia Christiana Albertina die XXX. m. Aprilis exsequias egit admodum celebres ac manifesto omnium consensu insignes. CHRISTOPHORUS HENRICUS PFAFFIUS, medicae et chemiae professor, nocte media inter d. XXIII. et IV. ej. m. decesserat, qui anno superioris saeculi nonagesimo septimo ad nos vocatus ultra saeculum dimidium hujus academiae decus, hujus terrae patriaeque lumen et splendidum et benignum fuit.

Pulcre pieque, commilitones dilectissimi, fecistis et certe prorsus ex academiae, ex hujus urbis, ex universae patriae consensu, quod has exsequias vestro potissimum comitatu apparatuque sollemni decoratas efferri voluistis. Quamquam enim nemo de vestro numero doctoris ingeniosissimi facundam illam vocem ipse amplius audierat, de facie autem eum non noveratis, nisi unus fortasse et alter, quum senex caecus ut erat in ambulatione a conjuge fidissima deduceretur: at tribuebatis eam observantiam eximii clarique viri reverentiae, pro sua quisque vestrum ratione. Nam sive ipsi studiorum affinitate ingenii ubertatem scriptis expressam cognoveratis, sive alios de hujus viri meritis, virtutibus, gratiis, alacritate, facundia, festivitate praedicantes audieratis, ignorasse prorsus *Pfaffium* ne vestrum quidem ullus videtur.

Nos quidem collegas vegeta ac viridis hujus ingenii senectus a nullo consuetudinum genere intercluserat, donec postrema paucarum hebdomadum aegrotatio lecto eum affixit, in quo placide exspiravit. Quodsi nos cuncti ex quocunque disciplinarum ordine bonis artibus meremur, seniorem nostrum

15378

velut academiae larem quendam animorum veneratione colebamus, ii, quos propiore usu attingebat, quum identidem veteranum salutabant, non officii forsitan molesti pietatem reddere sibi videbantur, sed congressus repetere amoenos et plerosque confabulatione de rebus literisve novissimis jucundissimos. Itaque hunc senem prope octogenarium non ob veterem tantum pristinarum virtutum memoriam, sed ex cari capitis usu recenti nunc sublatum requirimus. Ea autem caritas florens et memor certe non potest, quin post exsequias rite peractas sua oratione atque elogio aliquo perenniore parentet defuncto, praesertim quum in ipso funere alter parentandi locus domesticae pietatis oratori, alter actori ritus sancti permittendus fuerit.

Erit hoc, quod his plagulis exhibemus, monumentum non tam gloriae publicum, quam privum quoddam et proprium, quod nostrae societatis hujusque patriae causas complectatur. Etenim si praestantissimi cujusque hominis ut virtus ita memoria communis quaedam est, literaeque et ingenii opera in plurium longe lateque studia sese insinuant, *Pfaffius* potissimum is fuit, quem non solum propter illa merita, quorum felicitas latius pertinet, magni faceremus, sed quo gauderemus, qualis quantusque ingenii animique bonis ad rem bene gerendam factus homo tam longum per aetatis spatium apud nos floruit. Quem cursum vitae nunc finitum quum non possimus sine animorum dolore ac desiderio respicere, ipsum, qui defunctus est, profecto gratulatione potius quam luctu prosequendum esse sentimus. Consecutus est quod voluit; hominis felicis vitam compositam videmus. Facultas et voluntas egregia nacta tempus et locum, ubi sese expediret, opportunisissimum, omnem naturae eximiae indolem expromsit et quum de literis, tum de commodo civium optime merendo ad exteros et posteros famam insignem; existimationem, gratiam, caritatem apud suos et proximum quemque consecuta est. Ita sentimus ac profitemur ad ejus tumulum omnes, quoscunque vel aequales vel patrum sermonibus edoctos vitae testes aut spectatores habuit. Vos autem, commilitones, advertite et reputate nobiscum illud, suis quam exteris cariores esse fere homines cordatos, haud dimidiatos sed totos animo, quibus et facultas et voluntas omnis in unum congruat. In *Pfaffio* autem

stro verissime ambiguum esse dicas, uter alteri plus debuerit, alteriusque

tate auctior fuerit, nostrane academia et patria, cui dei benevolentia

19 378

hunc doctorem et civem felicissimum adduxit tamque diu servavit, an *Pfaffius* ipse loci studiique perpetuo laetissimus. Qui, quae ejus virtus erat mature inclyta, identidem expetitus ab aliis, invitatus quidem bis in patriam veterem, Wuertembergum, bis in universitatem Halensem, postremum in Bonnensem, tamen usque locum, quem apud nos divinitus ceperat, tenere et colere maluit.

Hujus igitur viri nobis addictissimi imaginem quum sedulo amanterque recordamur ac tum per aetatis transactae gradus tum per varias vitae gerendae partes persequimur, illud maxime ultro offertur animadvertendum, hanc naturam dei favore eximio et ab initio bonis ingenii ornatam ac fortunatam et in vigorem mirifice perennem sustentatam esse, ut imbecillitatis humanae, si vita mentis animique potius quam corporis incolumitate censetur, propemodum nihil vel minimum experta sit. Quae enim incommoda duo in plerisque omnibus vitae actionem debilitant, ab initio manca indoles et ex indole voluntas, progrediente aetate senectus cum corpore mentem mutilans, eorum neutrum in *Pfaffium* magnam vim habere vidimus. Si aetatem ingravescentem spectamus, animo certe senium verum vix et ne vix quidem sensit, si ingenii indolem industriaeque ubertatem dinumeramus, voluntas et studia in tantam varietatem suppetebant, ut neque sensu ab ullo humanitatis genere atque opere abhorreret neque in vitae actione quidquam, quod binas, ut fit, facultates requirit, altera parte mancum relinqueret. Nam quam ex studiis doctrinae sibi propriam sumserat disciplinam, experientem naturae observationem, eam et scriptor et actor coluit scriptorumque utilitatem nunc scholae nunc vitae accommodavit. Docendi autem officium non solum sollertia verum etiam facundia audientibus probavit. Idem ad oblectamenta lusumque aeque atque ad seria natus factusque adeo fuit, ut festivitas illa, qua convivia sollemnia exhilarare et quasi condire solebat orator convivalis, nostratium memoria non minus diu celebratum iri videatur, quam sive doctrinae physicae et chemicae monumenta, sive pharmacopoeae utilitas.

Primum autem ut de senis vigore illo nunquam deficiente peroremus, nacta erat viri industria ac virtus jam dudum diem quasi triumphalem, quo de publico consensu memoris gratiae vocibus ac monumentis ornata insigniter fuit. Tot enim numero medici et pharmaceutae, qui per longum decursum

annorum ab eo sive doctore sive scriptore profecerant, aliique praeterea multi, qui observantiam induerant viri egregii et publice privatimque acceptissimi, adverterunt hi sane diem, quem ille doctoris dignitate per decem lustra in tantam laudem gesta insignem habuit, qui dies a. MDCCCXLIII. m. Octobris quintus fuit. Instincti igitur et doctoris et hominis admiratione et caritate ipsum diem festa hilaritate sollemnem egerunt vereque publica ea erat gratulatio, quam non solum academia et civitas Kiliensis oblatis honorum suorum ornamentis auxerunt, sed etiam rex noster augustissimus *Christianus VIII.* publicorum praemiorum splendore illuminavit. Verissimam autem gratulationis causam ipse ei sollemnitati addidit senex septuaginta annorum specimine illo sui, quod habita gratiarum actione atque oratione de vitae operaeque suae memoria exhibuit laetissimum. Emiserunt tum tres viri libellum velut praefationem ejus sollemnitatis, quibus ingenii ac laudatissimae vitae simulacrum exprimerent, et certatim verissime ita expresserunt, ut pectus disertos facere agnosceres, simul autem exemplo disceres, laudatorem esse quemque ita optimum ut intelligentissimum eoque amantissimum. Programma igitur illud volumine exiguum, testantium verbis ac sententiis eloquentissimum quum omnem viri praestantiam illuminat, tum senis illam quasi viriditatem effert, qua prope integro flore virtutum insitarum studii nihil remittentis nova usque documenta promat. „Hic ardor calorque, inquiunt, quo incensus ipse audientes incendit, nunquam refrixit; dum cani capitis nives adspicis, fervidum orationis flumen ex ore quasi igneum profluit.“

Ita illi tum; neque posthac alium unquam vidimus, fervor perduravit idem, atque etiam audientes ut antea porro incendebat, nisi oculorum usus magis magisque deficiens eum ad institutionem experientem, qua chemico et physico opus est, paullatim inopem reddidisset. Atque aliquot per annos docendi munus sodalis administri ope sustinebat, qui scholas meditanti schedulas, in quibus capita doctrinae notaverat, recitabat, coram audientibus deinde ipso mandante experimenta exsequebatur. Mox autem, postquam divisae eo modo operae difficultatem oculorum debilitate sensim in veram caecitatem cedente nimium augeri sensit, spemque in arte medicorum clarissimorum positam eventus destituit, anno h. s. XLV. vacationem a semestrium scholarum munere petiit. Accepit eam ita, ut prout facultas abunde

suppetebat, ceterorum stationis academicae locorum nullum omitteret. Praeses enim collegii, quod publicae sanitati consulit, inde ab anno h. s. XXVIII. in locum *Weberi* defuncti constitutus, his curis etiam tum operam dare perrexit maximeque explorationibus interesse impigerrime, quas sive illud collegium sive ordo medicorum ex instituto peragebat.

In his explorationibus cerneres virum ingeniosum quamvis et senem et caecum ut porro sibi similis scientiam memoriae et imaginationis copula egregie sustentatam liberrime promebat ac dispensabat. Forma autem colloquiorum vulgarem illa quidem ad normam ne a sene quidem componebatur, sed longe uberior quaedam et citatior erat, quam explorationis justae ratio severioribus admittere videbatur. Scilicet si non potest non diversus esse modus ut docentium ita explorantium prout scientiae acquisitae veritatem docendique finem et fructum interpretantur: *Pfaffii* similes, qui, quoniam didicisse et scire nemo videatur nisi quantum ipse subegerit, illud in docendo unum sectantur, ut studium incendant, rationem cujusque disciplinae aperiant, denique exempla quaerendi praeeant, iidem, quum ad explorationem ventum est, eâdem sectâ non tam scientiae paratae locos persequuntur, quam facultates candidatorum perscrutantur rationumque, quae regunt et continent disciplinam, intellectus pertentant, denique faciunt quasi iis cum aemulis studiorum, non cum his res esset, qui scientiam quodammodo confectam in vitae munerumque usum convertant. Peccant ita facientes sane non raro, si quidem accommodate nisi paucioribus, qui ingenio excellunt, non faciunt, at ingenue peccant atque sua elegantia utique a magno detrimento cavent, ingenia adolescentis aetatis ut ne parum impellantur et excitentur eoque neque ipsa se intelligant neque ab aliis dignoscantur.

Tali igitur vigore quum senex publicum illud munus gerere ne caecus quidem desisteret, domi quoque omnis desidiae osor, otium inter studia utriusque generis eodem quo semper viguerat tenore industriae partiebatur, doctrinae dico altera ut etiam scripta porro componeret, altera humanitatis communis, quibus aleret animum cognoscendi avidissimum. Atque navabat porro studium operamque disciplinae, in qua exaedificanda nomen ejus ab adolescentia magnum fuerat. Quaestionum electricarum procedente aetate is fuerat progressus ut physici sive physico-chemici de causis galvanismi magis

magisque in duas discederent sectas, alteri de Voltae observatione ac doctrina contactum diversorum metallorum, alteri miscendi eventum chemicum interpretarentur. In ea contentione *Pfaffius* a Voltae partibus stetit, doctrinae, quae non sine ipsius opera experiente primum confirmata erat, tenax assertor et satelles strenuus, quamvis chemicorum inventa et observaret attentissime et promtissime in disciplinae usus ascisceret. Antehac quum Voltae inventa ac placita tum suum assensum professus erat plenissime in Gehleri editionis iteratae lexico physico s. vv. *Galvanismus* et *Pila Voltaica* annis h. s. XXVII. et XXXVI. Anno deinceps proximo primum obviam iverat iis, qui jam disertius chemicam rationem ad redarguendam doctrinam contactus extulissent. Ediderat enim libellum qui inscribitur: *Revision der Lehre vom Galvano-Voltaismus*, Alton. 1837. Neque in eo patrocinio semel acto acquiescendum sibi viderat, sed quum ex adversariis Faraday inprimis aliique annis XLI — IV. eam contentionem pluribus commentationibus persecuti essent, a. XLV. has quoque in disceptationem vocavit maximeque retractavit, sicubi Voltae reperta parum exactis experimentis impugnasse videbantur. Libri index est: *Parallele der chemischen Theorie und der Voltaischen Contacttheorie der galvanischen Kette.* Kil. 1845. Quo scripto quantum profecerit, existimare neque hujus loci neque omnino nostrum est, qui potius senis strenuitatem, quam ipse etiam mandandis experimentis praestitit simulque eloquendi perspicuitatem cum aequitate conjunctam amplectimur, quum adversariorum sententias explanantem audimus. Composuit senex LXXII. annorum hunc librum dictando. Quae opera si documento est promtae scientiae, alterum ejusdem anni opusculum ob orationis venustatem atque amoenitatem quandam magis etiam memorabile est. Quum enim collega conjunctissimus *G. Behnius*, anatomes professor, ei auctor fuisset, ut epistolas olim a Cuvierio adolescente ad se adolescentem datas ipsi edendas permitteret, introductioni, qua editor viri clarissimi memoriam ornavit, ipse *Pfaffius* adjecit narrationem de necessitudine, quae sibi inde a contubernio in Carolino illo Stuttgardiensi (quod Schillero alumno inclaruit) cum Cuvierio intercesserit et praecipue imaginem ingenii Cuvieriani extulit iis orationis luminibus conspicuam, ut non senem sed virum audire te credas, quem sentiendi et imaginandi sucus et sanguis juvenem sempiternum praestet. Ne haec quidem

duo scripta illi postrema fuerunt. Quum a. L. cholera morbus etiam Holsatiam invasisset, commentariolum composuit, quo collatis prioribus annis eadem peste infestis observationes, ex notitiis physicorum collectas sedulo exegit eumque adjutus a *Karstenio* nostro, quem plurimi fecit, annali meteorologico auctum edidit a. LI. Opus vero postremum quasi peregrinator discessurus et rationes concludens editioni paravit commentarios de vita sua, quos postmodo in publicum emissum iri speramus. Quem actum supremum considerantes, quo tum modo, quoque socio opitulante peregerit quandoque finierit, rursus habemus quod vitam feliciter compositam gratulemur. Excitaverat eum in consilium illud pietas filii fratris, qui institisset, ut epistolas ab adolescentia ad fratrem Fridericum datas ederet. His igitur aliisque epistolis in editionem paratis mense Junio anni superioris de vita ipse sua commentari incepit. Ad manus ei etiam hoc officio erat sedula cura uxoris, cui omnia dictabat, semper instans ut opus procederet — ingravescente enim intestinorum difficultate mortem non longe abesse satis intelligebat. — Coronis operi apposita est pridie ejus diei, quo lectus eum recepit, in quo mox hebdomade tertia exspiravit. Paginae autem scripti ultimae habent quandam perorationem hominis literati ad socios studiorum, quae inprimis candore placitura videtur, quo vir meritissimus atque electricorum inter principes numerandus causas persequitur, cur plus non praestiterit. Quas causas nos experiundo qui cognovimus non poterimus quin in nostros quidem usus laetissimas praedicemus, etiamsi obstiterint, quo minus in proprio physicarum disciplinarum genere laudem etiam illustriorem famamque ad posteros majorem consequeretur.

Et primum, quoniam senis vegeti imago maxime obversatur, ipse hic vigor ei vix mansurus fuisse videtur, si uni generi quaestionum studiorumque mancipatus, aliorum incuriosus in hoc uno consenuisset. Nunc natura omnis humanitatis aeque atque scientiae prope omnis avida senilem animum eadem literarum varietate alebat atque ubertate quasi lactea perfundebat, quae antea ab adolescentia usque usurpata ei docendi illam atque omnino orandi agendique cum elegantia alacritatem indiderat, qua inter nos viguit. Haec varietas ipsa scilicet, dum mentis animique facultatibus aequaliter omnibus satisdat, sapere et fari simul docuerat et cum ingenii sollertia eloquentiam conciliaverat

LANE LIBRARY

illam ad seria lususque laetissimam. Ac juvabit nunc maxime relegere imaginem, quam studii mirifice multiplicis ac varii *Hegewischius* adumbravit eloquentissimam in libello supra memorato: *Denkschrift der Jubelfeier* p. 5.

Quodsi caeco seni ad explendum animum lectoribus opus erat, abundabat ejus domus officiosissimis iisque ad exteras quoque literas cognoscendas idoneis, uxore, filia, nepote, aliis, quorum opera nunquam deficiens capiti carissimo in quotidiani victus similitudinem auditiones suppeditaret, quibus quum vetera literarum etiam sanctiorum studia continuaret tum asciscceret, ut quidque in Germania, Anglia, Francogallia novissimum lectores cordatos et elegantes alliciebat. Atque ex communibus literis dicimus imprimis vitas illas Steinii, Yorkii, Friderici Perthesii, Wolzogeni, ex quibus hic *Pfaffio* in Carolino Stuttgardiensi contubernalis fuerat. Eas autem auditiones quod memoria ac mente adeo vere comprehendebat et imbibebat, ut non raro visitantibus amicis plurium retro dierum lectiones redderet meditatione egregie subactas, usui ei fuit consuetudo jam pridem ante subortam necessitatem usurpata. Nam dudum plerosque libros sive novos sive denuo respiciendos etiam in studiorum usum adhibito potius lectore quam suis oculis cognoscere consueverat. Itaque imbecillitas oculorum ei prorsus in acriorem mentis agitationem cessit, si quidem quae auribus accipiuntur mentem longe magis ipsa citant et acuunt, quam quae per silentium oculis quasi muta se ingerunt cogitata ac sensa.

In tanta auditionum ubertate profecto ne sanctiorum quidem literarum usus deerat. Is, quem studiis adeo humanum, ab ingenii indole tam plenum ferimus, potioris sui partis partem potissimam, animum immortalem nequaquam languide habendum censebat. Auspicabatur unumquemque diem ab auditione loci ex bibliis sacris delibati; maximeque ex his evangelium Matthaei amplectebatur, summa autem animi veneratione colebat orationem montanam. Qui etiam conventuum sacrorum haud infrequens cultor maximeque *Harmsii* nostri quamdiu per utriusque valetudinem licebat (o utrumque caecitatis heroem!) auditor admodum studiosus (quocum ei ad extremos vitae dies usus amicitiae intercedebat), omnino non ut multi saepe homines docti statuit, qui agunt certe, quasi quae ecclesia christiana de Christo, de indigentia naturae humanae, de immortalitate animi rata habet superstitiosis

permittenda putent, ad se nihil pertinere; *Pfaffius* ista quidem certe non exemit ex genere humani illius, cujus nihil a se alienum esse sentiret. Quodsi scrutatores naturae multi saepe in pantheismi sectam deferuntur vel saltem proclives sunt, *Pfaffius* quoque fuit quidem aliquando, quum in illud periculum incurreret, olim vel ad tumulum collegae dilectissimi *Luedersii* (Parentat. editae p. 11) ea professus est, quae fere cum dicto poetae philosophi congruunt: ἐκπλῆθεν ὅθεν ἦλθε πάλιν, γᾶ μὲν εἰς γᾶν, πνεῦμα δ' ἄνω — terrestris pars in terram rursum, anima in universum rediit —; at neque potuit consistere neque constitit in tali placito is, qui homini illud prae omnibus propositum haberet, ut se ipse nosceret maximeque adeo penitus sentiret et persentiret insitum fixumque animis acre perfecti ac perficiendi studium. Ita enim qui sentiant, hae illi necessario ex pantheismi sapientia excorde ad induendam colendamque naturae cuique propriae persuasionem perducuntur. Hinc illud consecutum est, quod procedente maxime aetate *Pfaffius* intimos animi recessus aeternasque curas magis magisque colens ex sacris scriptoribus Matthaeum, ex nostratibus Herderum prae ceteris auctores et consultores quasi in secretum colloquium adhibuit.

En imaginem defuncti, qualem ex recenti postremorum annorum recordatione illustrem et caram animis impressam tenemus. Neque vero haec senis praestantissimi imago ut ipsa virtute contigua est cum vitae actione prioris nobis non instaurat memoriam totius cursus, quem *Pfaffius* in hujus academiae atque horum ducatuum emolumentum ac decus apud nos transegit.

Ac verissime praedicare licet, hunc qualis quantusque fuerit, quamvis alia in terra natum educatumque, usu quidem ac fructu plane nostrum fuisse. Nam incunabula quidem ingenii et artium suarum non hanc Albingiam sed Sueviam habuerat; verum ut primum posito insigniter tirocinio cursum vitae agendae ingredi parabat, opportunitate ea, quae eum Havniam ut adiret invitavit, quasi voce manuque divina in eam viam deductus est, qua in notitiam curatorum hujus universitatis ac porro in ea munera perveniret, quae per dies vitae tenuit. In nostros igitur usus parentes et patria Suevia genuerant, Carolinum Stuttgardiense educaverat hanc indolem eximiam. Quam Suevicam quandam usque sensimus, h. e. apertam et candidam,

calidiorem etiam ac proruptam, denique vero eam, quae ferenda quae essent bonis abunde compensaret; adolescentis autem aetatis nutrimenta Carolinique opportunitates et ipse memori pietate recordabatur et nos experiundo intelleximus, quantum ad ejus naturam adjuvandam et ad propria studia formandam effecissent. Quod si indoles cum insito vigore ad omnem agendi prosperitatem causa principalis esse reperitur et maxima, nutrimentorum autem opportunitas conspirare debet, ut verus laetusque conficiatur fructus, hanc duplicem ac mutuam felicitatem in *Pfaffio* ita congruisse videmus, ut ubi externae rationes deficerent, quod defuit naturae ingenuae appetitus compensarit, plerumque autem per omnes vitae quasi gradus occasiones et fortunae adminicula ipsius voluntati et facultati faustissime suppeditaverint.

Natus Stuttgardiae a. super. sec. LXXIII. ex domo amplioris dignitátis, quae liberis abundabat, numero sextus, pueritiae et maternae curae annos hoc ipso bono propemodum destitutos egit. Nam mater per plures annos melancholia laborans quum sero et in spatium brevius domui restituta esset, puerulo educando prope nihil nisi vota praestitit, impressit tamen imaginem lenitatis semper suae, qua ferocientem identidem placavit. Magnum illud incommodum, quod mater deerat, ut quoad fieri posset levaret, pater puerulum jam quinquennem oppidano ludo instituendum tradidit, deinde Carolinum spectabat. In quod quum jam tres fratres recepti essent, percommodum accidit, quod Carolus dux, academiae Carolinae conditor et altor, singulari gratia quartum adjiciendum ultro decrevit. Pater autem prae adultiore, qui suppetebat, Christophorum Henricum optavit, ut qui quamquam nondum decennis tamen indole ac profectibus altero ad amplectenda doctrinae studia aptior videretur. Sic puer, quem tum vestitus alumnorum militaris maxime alliciebat, pusillus inter multo proceriores plerosque omnes locum cepit (mense Nov. a. LXXXII.), sed mox ingenio, fervore studii, moribus denique effecit, ut staturae exiguitas in laudis partem acciperetur. Ipsius vero academiae Carolinae disciplina et ratio peculiaris, — prospera illa quidem eo tenore, quo gymnasio, quale nos novimus, excipientium sese ordinum contiguitate universitatem consertam habuit, laeta etiam quum varietate et ubertate institutionis quadam, tum contubernio ac sodalitiis, quae alumnos interdum in intimam familiaritatem, semper in studiorum

communionem felicissimamque non raro concertationem implicarunt, — veram illa quidem humanitatis curam cultumque animorum non propositum habebat, sed ab exordio usum vitae, stimulum autem unum honorem. Dixeris ex nomenclatura et discriminatione, quae nunc fit, Carolinum gymnasio reali continuasse universitatem realem, nam neque theologorum neque philosophorum ordinem continebat. Atque si doctrinae genera, quae animos discentium penitius erudiunt et ad optimi species convertunt ac formant, non prorsus omissa requireres, tamen et veterum linguarum et philosophica et vero christiana studia minus diligenter habebantur, plurimum autem tribuebatur praecipuusque locus erat disciplinis, quae investigandae ac pernoscendae naturae sunt; quapropter alumni, quos plerosque nobiliore loco natos asciscebat Carolinum et in ambitiosiores vitae sectas formabat, multi saepe etiam qui ad munera sive civilia sive militaria instruebantur, naturae studiis admodum sedulo operam dabant.

Talis igitur institutionis forma atque ex copia partim, partim inopia temperata ratio si neque omnino suos numeros habere videri, et quibusdam tamen naturis satis bene congruens, denique si ipsae sibi consulere gestiant, utilissima evadere potest: *Pfaffio* certe ipso illo temperamento accommodata fuit. Hunc enim ingenium non introrsus ad ideas animi neque ad philosophandum sed prorsus ad spectandum observandumque ferebat; naturae autem cognoscendae amores quum et mature sensisset et perpetuo teneret, totus compositus erat ad Baconis illud: non fingendum aut excogitandum sed experiendum, quid natura ferat aut faciat.

Disciplinae igitur traditus convenientissimae, etiam duo illos, qui ad proficiendum maxime juvant, nactus est, magistrum, quem suum prae ceteris amplecteretur, et condiscipulos, quibuscum felicissime contenderet. Ac primo quidem in cursu quum institutionis ubertas studiorum illam varietatem aleret, si quarundam puerilium doctrinarum doctores utiles minus suppetebant, at contubernalibus maximeque uno (Bibero) usus est, quocum studiis etiam nocturnis neglectos locos explevit. Sed inde a confirmatiore aetate ubi jam ex illa varietate repererat, quod sibi proprium ac potissimum coleret, tum maxime obtigerunt illi, ut diximus, ad profectus exoptatissimi. Quum in cursu secundo philosophico versaretur, jamque spectaret vitae sectam, obvenit

condiscipulus, qualem maxime velis, caritate aequalis, annis et scientia aliquanto provectior. Cuvierius anno superioris saeculi LXXXVII. ad VIII. ipse octodecennis adolescentem quatuordecim annorum nobili illa amicitia amplexus est, eumque inter alios sodales, quos in societatem studiorum conciverat, suo commercio studiorumque communium documentis ad naturae cognitionem adeo adjuvit et quasi instinxit, ut *Pfaffius* in commentariis, quos de vita sua reliquit, hunc sibi ac suo ingenio genium quendam ad enitendum exstitisse amantissime profiteatur. Subsecutum est quinquennium vere academicum; ingressus ordinem studiosorum artis medicae tanquam eum, qui naturalibus quaestionibus maxime locum faceret, *Pfaffius* dum, prout fortuna tulerit, utramque provinciam propositam habet, sive doctoris academici, sive medici artem factitantis, animi autem desiderio illam magis appetit, tum maxime fuit, quod aeque utroque nomine gauderet simul copiis doctrinae, quae naturalium disciplinarum locos complebant, simul doctore, qualis si obtingit, ex omnibus quae fieri possunt auxiliis maximo beneficio ac vere divino obtingere videtur. Experti ultro intelligunt, qualem dicam. Nempe eum, quem non studiorum magis quam vitae ducem et auspicem sequamur, qui quum docet non solum argumenti commendatione sed omni ratione atque oratione capiat non aures modo sed animos audientium, probatus ille non de cathedra doctor, sed homo qualis quantusque est. Qualem vim occupandi et ducendi totos primum non habent nisi, qui ipsi toti atque integri quidam sunt, neque habent nisi in eos, quibus par similisque est indoles, ut concinant inter se quemadmodum Plato in Phaedro animos ejusdem dei et ideae sectatores concinere inter se narrat. Talis igitur sive doctor sive dux et auspex *Pfaffio* exstitit Kielmeierus, quem anno XC. doctorem nactus anatomiae comparantis et physiologiae et vero chemiae, magis magisque per triennium amplexus ut disciplinarum interpretem atque omnis docendi rationis principem et quasi praesulem, ita studiorum animi omnium socium se habuisse praedicat. Kielmeierus enim, ut praeter doctrinae studia eadem etiam elegantias ac poesin in deliciis habebat, discipuli amores omnes complectebatur.

His alimentis et auxiliis egregie altus atque adultus *Pfaffius* quum a. XCIII. discessum pararet et ad obtinendos doctoris honores argumentum

exhibendi speciminis circumspiceret, singulari temporis prosperitate suaque sollertia id quod inter physicos celeberrimum est, arripuit recens (a. XC.) Galvanii observatum ediditque commentationem *de electricitate sic dicta animali*. Successit in novae rei felicitatem laudemque post Voltam, qui recens natam quasi secundus a genitore susceperat, *Pfaffius* tertius, ut similiter evenisse gignendi inque lucem edendi progressum dicas atque in fabulis apud Pindarum de Aristaeo, prole Apollinis est, quam excepisse Mercurius fertur ac tradidisse educandam Horis. In eundem modum Galvanii prolem exceperat Volta, qui deinceps *Pfaffio* tradidisse dici verissime potest, cujus denique opera in plena, quae longe lateque penetraret, luce collocata demum est. Nam sive ipsam electricitatis efficacitatem, sive contiguitatis electricae machinas pilasque spectamus, a *Pfaffio* illustratae utique sunt. Quem in hanc potissimum utilitatem laudemque ipsa natura finxerat genium quasi femininae non virilis indolis qui ex aliis natos officio ac virtute velut nutricum, quae infantium ingenia noscunt, princeps et perspexit et sua cura roboravit. Et tria quae ejus aetas suarum disciplinarum inventa vidit, Galvanismum, Voltaismum et Oerstedtii inventum Electro-Magnetismum, quod sunt, qui ipsi *Pfaffio* praereptum mirentur, certe ille percoluit cuncta, ut ejus vita ac bene merendi decursus ipsius disciplinae electricae aetatem ac memoriam referat. Galvanismi autem illustrati laudem haudquaquam exiguam, siquidem observatae a Galvanio rei legem ille princeps demonstravit, h. l. seriem contiguitatis, eam laudem *Pfaffio* contra rivalium exterorum arrogantiam luculentissime vindicavit is, a quo electricitatis animalis nova nunc aetas ducenda videtur *Aemilius du Bois-Reymondius;* v. opus, quod inscribitur: *Untersuchungen über thierische Electricität* I, 308 sq. *) Patrono hoc ac vindice quum ipse qui superstes librum usurpavit *Pfaffius* multum laetaretur, illud eidem largitus est, se ipsius Galvanii meritum iniquius habuisse nimiumque contendendo fuisse etiam Voltam.

Excessimus ad efferendam laudem *Pfaffii* publicam; sed properat oratio persequi, quibus quasi gradibus in locum apud nos suum perductus sit.

*) *„Als der eigentliche Entdecker der hier in Rede stehenden Gruppe von Thatsachen ist meines Wissens Pfaff zu nennen, der bereits in den Jahren 1793—95 eine ausführliche und tiefgehende Darstellung derselben gab. Mit dem vollständigsten Unrecht u. s. w.“*

Edito igitur specimine ingenii adeo in perennem laudem laeto perrexit Goettingam, ibique annum commoratus (usque ad auct. a. XCIV.) disciplinas, quas sibi proprias sumserat praeque ceteris electricitatis commentationem ex animo nequaquam dimisit, neque non sese applicuit quum aliis tum Lichtenbergio, doctori ad *Pfaffium* alliciendum nato; sed praecipuum quod Goettingae sequeretur studium artis fuit obstetriciae, ut haberet, quo vitae quaestum faceret. Quod consilium quum ei ipsum quoque illic egregie cessisset — nam strenue ac scite contendenti praesto erat fautor et insuper de Suevia popularis, Osiander — mox etiam ultra majori emolumento futurum erat. Artis enim obstetriciae dum frequentius seminarium circumspicit, qualia in urbibus celebrioribus esse solent, sodalis quidam academicus, recens ex Havnia reversus, in hujus urbis nosocomia ceterasque et copias et amoenitates dubitantem convertit. Itaque sub hiemem a. XCIV. Goettinga Havniam migravit. Ubi, sicuti semper virtutum suarum comitem et adjutricem habuit fortunam, ita tum in vitae cursum duo ad proficiendum admodum propitia consecutus est. Ipse secum percolendae doctrinae electricitatis intentus hujus illustrandae operam commentatione inaugurali inchoatam nunc pleniorem exhibuit edito a. XCV. libro illo, qui inscribitur: *Ueber thierische Electricität und Reizbarkeit*, Lips., cujus libri laudem cito valituram insignis aemuli Alexandri Humboldtii suffragium imprimis celebravit. Sed accessit alterum et majus commodum. Nam *Pfaffius* dum inter Havniae copias medici sua studia persequitur, per vitae privatae commercia in notitiam pervenit feminae inclytae, Fridericae Bruhnii ux. Haec eum deinceps in itinere, quod Kiliam parat, medicum assumit, comitemque in notitiam Hensleri Archiatri ac porro Reventlovii Emkendorfiensis perduxit. Ex hoc igitur tempore Kiliensi et congressu cum Henslero *Pfaffio* omnis reliqua vitae ratio ac fortuna effloruit. Consecutum primum illud est, ut Reventlovius ad iter Italicum suae uxorisque valetudinis causa suscipiendum *Pfaffium* asciscret medicum. Deinde reliqua quasi per seriem continuata successerunt. In illo enim itinere et convictu in annum tertium extracto (XCV — VII.) juvenis scitus et alacer inter impigerrimos usus opportunitatum atque amoenitatum, quibus Italia abundat, per otium domesticum Reventlovio illam etiam facundiam probavit, qua doctor excelluit. In villa prope Romam

quum degebant, medicus familiaris rogatu patroni historiam naturalem exposuit in usum praecipue filiae, idque ea cum virtute, ut haec non leve momentum adderet, quum posthac Henslerus cum Reventlovio vocandi *Pfaffii* consilium agitavit. Certe vix uterque domum redierat, quum Reventlovius *Pfaffium* in patria vetere artem salutarem factitare aggressum evocavit, ut in universitate Kiliensi ordini medicorum et physicorum postmodo inserendus naturalia maxime studia excitaret, etiam tum hic terrarum aut languentia aut ignota.

Conditio primo oblata spem potius quam fructum honoris et mercedis ostendebat. Sed amplexus oblatam *Pfaffius* admodum parate, primum haud cunctanter iter, quo Kiliam petiit, in cognitionem virorum ex omni genere praestantissimorum convertit; singulos efferre, quos tum Jenae, Lipsiae, Hamburgi, Eutini a se brevius diutius salutatos in commentariis jucundissime narrat, nunc non vacat; poterat autem illud maxime iter ejus felicitatis admonere, qua *Pfaffius* in paucis insignis fuit, qui ex viris suae aetatis excellentibus numerum sane quam magnum et varium cognitum ac propiore commercio sibi junctum habuit. Sed persequamur, quod instituimus. Nam spes ac fiducia, qua fretus *Pfaffius* vocationi quamvis immuni obtemperaverat, admodum cito comprobata est. Copiosus ut erat in omnem disciplinarum naturalium varietatem inde ab anno XCIX. continuo studiorum naturalium in hac academia paene principem quendam et auctorem se praebuit, eumque adeo largum, ut aliquantum temporis etiam mineralogiam et geologiam docuerit (donec Wiedemannus in eam provinciam successit, a. circ. MDCCCIX.). Ita quum *Pfaffius* virtutem primo professor extraordinarius expediisset, contigit ei, ut ipsa patria vetus, dum eum in praefecturam rei metallicae repetit, appetitionis eventu nostris potius curatoribus causam ingereret, cur juvenem jam satis spectatum in ordinem medicorum inserere properantius studerent. Quid? quod, ut simul ipsum rebus nostris devinciant, simul disciplinarum incrementa adjuvent, eum primo hujus saeculi anno stipendio auctum Parisios mittunt. Ultro scilicet evenit, quod diis cordi est. Parisiis quum praeter Cuvierium suum eum convenisset, quem convenire maxime vellet, studiorum suorem auspicem, Voltam, hujus consuetudine laetissimus sollertia sua in partem etiam meritorum ejus pervenit;

quandoquidem ipsius Voltae instinctu et velut mandatu in reditu Harlemum devertit, ibique socio van Marum, electrico nobili, pilae Voltaicae vim veritatemque novis experimentis stabilivit.

Qua re bene gesta postquam Kiliam reversus fuit, tum denique chemiae professione ornatus eum institit cursum, quo strenua ejus ac multiplex virtus eam, quam diximus ac novimus omnes, operam felicem huic terrae navavit. Quem cursum ut diligentius consideremus, sigillatim quidem et exacte neque scholarum, quas hujus doctoris ubertas complexa est varietatem omnem, neque scriptorum copiam recensebimus; attinet enim eas potius rationes efferre, quae industriam temporibus quibusque aptam et mentem animumque ostendant, quibus omnia gesserit. Et ne sic quidem non praeclara imago apparebit. Per saeculum dimidium *Pfaffii* industriam in utroque genere pariter strenuam fertilemque fuisse indices scriptorum non minus quam academiae semestres annales ipsi testantur; videmus utramque operam aequabiliter per omnem vitam ita pertinere, ut omnia mirifice in unum sollertiae et virtutis exemplum congruant.

Summa ac prope mirabilis ubertas doctrinae academicae ex priore potissimum muneris acti aetate refertur, ut ille unus tantum docendo sustinuisse reperiatur, quantum, si descriptionem provinciarum, quae nunc probatur, comparamus, in duas, tres, quatuor professiones dispertiendum arbitramur. Scilicet nunc singulae doctrinae exaedificantur et exiguntur in dies magis, doctorum studia contrahuntur, animi ipsi extenuantur. *Pfaffii* ex multiplici studio scientia luculenta in tempus et locum incidit, ubi profecto mille artium homine opus esset; naturalium enim studiorum tot fere ab ipso ansae erant suppeditandae, quot eorum sunt loci. Itaque non solum idem chemiam idem physicam, utramque tum universalem, tum carptim singulos locos docebat et galvanismum, magnetismum, electricitatis doctrinam, meteorologiam, alia, sed etiam medicae partes theoreticas, physiologiam generalem et specialem, quam quidem se audientibus haud aegre probasse gratulabatur. Accesserunt interdum Gallii phrenologia, magnetismus animalis, crebrius macrobiotice, cui quum per totam aetatem operae studiique plurimum dedisset, eorum, quae in eam observasset et collegisset thesaurum in scriniis conditum reliquit admodum locupletem.

Mature mentem etiam in eam disciplinam adjecit, quae ex naturae tripartitae cognitione remediorum vim atque ingenium aperit, in disciplinam quae quasi saga quaedam et arcanorum interpres medicis habetur, in materiam dico medicam. Illa quae rara in paucis conficitur scientia, primum non modo botanices, sed simul mineralogiae et zoologiae, chemicis cujusque rationibus exactae, deinde medicae artis cum pathologia, haec *Pfaffio* ex studiorum varietate aeque ac vitae usu quodam egregie suppetebat. Ergo anno quinto postquam condito statim sanitatis curandae collegio additus socius erat (a. h. s. IV.), hujus ejusdem curae quoddam quasi fundamentum et instrumentum principale, *materiae medicae opus* componere aggressus est, cujus volumen primum editum a. VIII. sex deinceps alia secuta sunt usque ad annum XXVII. Quod opus quum usu et auctoritate usque floreret (sicuti etiam nunc floret), mox in locum praesidis illius collegii evectus a. XXVIII. alterum adjecit insigne ad eandem curam pertinens, *pharmacopoeam Slesvico-Holsaticam* a. XXXI., quae non minus accepta etiam exteros longe lateque tamquam exemplum convertit. Quemadmodum autem isto in munere publico procurationem perpetuam scientiae suae donis suffulcire et exornare studuit, et praeter opera ampliora usus publici consultis peculiaribus non pauca interjecit opuscula, quibus populari sollicitudini consuleret (velut de variolis, de bulborum solani peste, de cholera morbo) sive solus sive cum collegis, ita alterum munus doctoris academici nunquam neque prae exigendarum disciplinarum fervore leviter habuit, neque observationum et meditationum subtiliorum fructibus instruere et augere destitit. Imo vitae memoriam recolentibus prorsus ambiguum reliquit, utris plus tribuerit, docendine officiis an literis suis. Illud autem largiendum est, discentes eum non ultra esse amplexum, quam quatenus secum contendere parati et idonei essent, neque unquam sollicite providisse, ut doctrinae argumentum bene atque luculenter perscriptum auferrent; ingeniis quaerendi exempla efferre, partes potissimas fervida ac pellucida oratione monstrare atque illuminare, denique concire discentes in studiorum aemulationem, hoc opus, hic labor erat. In eum finem omnis docendi forma accomodata erat, quae non raro etiam in colloquia cessit.

Ceterum procedente aetate et fere inde ab a. XXI. scholarum varietatem sensim in gyros angustiores contraxit adstrinxitque propemodum iis

disciplinis, quae chemicis rationibus continentur. Docuit igitur prae ceteris chemiam sive communem sive pharmaceuticam sive analyticam, sive toxicologicam, quamquam physicam quidem experimentalem in plurium atque omnium usum tradere usque ad postremam academicae operae aetatem perseveravit.

Quod reliquum est, non possumus non ipsius eam conditionem efferre, quae felicem imprimis duplicis muneris concentu praestitit. Qui et medicorum et pharmaceutarum per tirocinii academici tempora doctor, deinceps eorundem suo cujusque in loco merentis publicus quidam inspector et consultor, munerum ita sese excipientium fructu admodum beato gavisus est, necessitudine cum plurimis, quae auctoritate constaret pietate temperata et condita. Haec autem ipsa non modo illum defuncto diem ornavit, quem semisaecularem supra insignivimus, verum ultra vitae dies memorem caritatem servabit, quoad quisquam superstes erit, qui viderit eum, cujus similes ut deus huic academiae ac terrae impertiat, votis animi omnibus rogamus atque oramus.

Dab. ineunte Junio m. a. MDCCCLII.

LANE MEDICAL LIBRARY

This book should be returned on or before
the date last stamped below.